



C A P U T X V.

De probatione ad perpetuam Rei Memoriam.

§. 203.

Qui contra quempiam Jus habet, etsi conditionatum duntaxat, quin scripturam, qua id probari possit, possideat, veluti si bona fide alteri quid in depositum dedit, quin super eo Recognitionem acceperit, aut dominum sive fundum immobilem vendidit sub aliqua Conditione, quin eam statim in scriptum Contractum deduxerit, in his & similibus casibus is ab adversario petere potest, ut Documentum scriptum suo tamen ipsius pertinentis Impendio, sibi edat.

§. 204.

Si adversarius Editionem documenti exceptiti recusaverit, petenti jus esto, eundem in judicio convenire, ac libellum pro Actione sibi competente porrigere.

§. 205.

§. 205.

Siquis litem aliquam præmetuat, contra quam validam nullo tamen scripto Documento firmatam exceptionem habeat, veluti si Tutori capitale bona fide deponat, quin quietantiam acceperit, vel etiam si quis, quod pro firmando Exceptione sua habuit, documentum deperdidit, ei jus esto scriptum documentum ab eo, a quo Impetitionem metueret, postulare, atque hoc edere recusantem in Judicio convenire, & tali in casu, quæ in qualibet alia Actione quoad procedendi formam præscripta sunt, observanda veniunt.

§. 206.

Si quis justam timendi causam habeat, ne ante litem motam, vel ea pendente, qui sibi testis ad futuram Juris sui persecutionem, aut defensionem esse posset, vel moriatur, vel perægre abeat, Jus habet petendi, ut talis testis sine omni mora citra sententiam, & servato duntaxat, tantum, quantum fieri potest, ordine, ad examen admittatur.
Proc. Jud. Transilv. G CA-